Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26120
Copyright: Admont, Benediktinerstift



mitibus fidei loris ligaret. Diu quippe in exordiis suis
rinocerotis huius cornu uentilata. & quasi funditus in
terimenda percussa est. sed diuina gratia dispensante. & illa mo
riendo uiuificata conualuit. & cornu suum rinoceros iste
feriendo lassatus inclinauit. quod quoque impossibile hominibus
fuit. deo difficile non fuit. qui potestates huius mundi ri
gidas. non uerbis sed miraculis. fregit. Ecce enim cottidie ser
uire rinocerotas agnoscimus. dum potestates mundi huius
qui in uiribus suis fatua dudum fuerant. elatione confisi. deo
subditas iam uidemus. Quasi de quodam indomito rinoce
rote dominus loquebatur. cum diceret. Diues difficile intrabit
in regnum celorum. Cui cum responsum esset. & quis poterit saluus
fieri. Illico adiunxit. Apud homines hoc impossibile est.
apud deum autem omnia possibilia sunt. Ac si diceret. Rino
ceros iste humanis uiribus mansuescere non potest. sed tamen
sed tamen diuinis subdi miraculis potest. Vnde hic quoque apte
beato iob sancte ecclesie tipum tenenti dicitur. Numquid uolet
rinoceros seruire tibi. subaudis ut michi. qui cum predicamen
tis quidem hominum diu resistere pertuli. sed tamen repente
cum uolui miraculis strauit. Ac si apertius dicat. Numquid hi
qui fatua elatione superbiunt. sine meis adiutoriis tue
predicationi subduntur. Perquem itaque prevaleas considera. &
in omne quod prevalet sensum elationis inclina. Vel certe
ad beati iob noticiam pro humilianda eius uirtute deducitur
quam mira quandoque per apostolos agantur. qui mundum deo subi
ciunt. eique edomitam potentum huius seculi superbiam flectunt.
ut tanto de se beatus iob minus estimet. quanto ag
gregari deo tam difficiles animas per alios uidet. Dicat ergo
Numquid ualet rinoceros seruire tibi. Subaudis sicut per eos
quos misero seruit michi. Sequitur. Aut morabitur ad presepe
sacra pe tuum. Presepe hoc loco ipsa scriptura non incuenient